

SCRIPTA

Numéro Scripta : 156

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 509 / ARTEM 2710

Auteur(s) : Pierre de Paris [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1069

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Pierre de Paris, chevalier, confirme la donation de la vicairie de Colombières faite à Jumièges par Ansold, son père. L'abbé Robert lui remet quatre livres de deniers et un cheval.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 9 H 1750.

Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° XXVIII, t. 1, p. 79-81.

Dissertation critique

Datation proposée par J.-J. Vernier : 1069 (du 12 avril au 3 avril 1070).

Texte établi d'après a

[Chrismon]. — Bonis ac piis operibus, dum vacat, vigilanter insudare ac majorum vestigia non excedere hortatur tam juris sapientis proverbium quam etiam apostoli oraculum. « Ne transgrediaris, inquit Salomon, terminos antiquos quos constituerunt patres tui ». Itemque apostolus : « dum tempus, inquit, habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei ». Unde ego Petrus Parisiacensis, miles, labentia despiciens et mansura gaudia adipisci cupiens, innotesco omnibus Christicolis quod pater meus, Ansoldus nomine, quamdam vicariam habebat in quadam possessione sancti Petri Gemmeticensis coenobii, quæ cita est infra terminos cujusdam prædii quod vocatur Columare, necnon et in aliis ruris adjacentibus ipsi possessiunculæ, respicientem ad jam præfatum prædium videlicet Columare. Verum idem meus genitor scilicet Ansoldus, cupiens transitoriis rebus æterna præmia comparare, Deo sanctoque Petro Gemmeticensis coenobii prædictam vicariam eo tenore dimisit quatinus per succedentium temporum curricula in coenobio Gemmetico constitueretur quidam specialiter frater qui pro eo cotidie precum vota Domino pie persolveret. At vero piæ memoriæ genitor meus cum vita excessisset ac ejus existerem heres, coeperunt domestici nostri inquietare rem sancti Petri quam pater meus dono Deo ac sanctis tradiderat. Quapropter compulsus est vir religiosus domnus ejusdem coenobii abbas, nomine Rotbertus, ad meam humilitatem dirigere, poscens quatinus elemosinam patris mei non violarem aut auferem. Unde gratanter mihi obtulerunt pro hac re .IIII. libras denariorum simulque equum unum, ut videlicet donum patris mei corroborarem.

Qui hæc munuscula ab eis accipiens, cum ipsa vicaria ex beneficio regis esset, spoondi me regem supplicaturum quatinus elemosina patris mei ac mea rata fieret : quod et feci. Igitur tam ego quam mea uxor necnon et filius Gausfredus, cognomine Ansoldus, damus coenobio sancti Petri Gemmeticensis coenobii (sic) vicariam possessionis Sancti Petri quæ sita est infra terminos prædii quod dicitur Columare, necnon etiam omnium quicquid ad illam possessiunculam pertinent (sic) et quæ post obitum patris mei ibi domestici nostri ad... bant, sicut genitor meus pridem dimisit, ita ego quoque necnon uxor mea et heredes mei ab hodie dimittimus, it[a du]ntaxat ut pactio quam fratres prædicti coenobii patri meo statuerunt, mihi quoque et heredibus meis concedendo statuant, videlicet fratrem in eodem coenobio delegantes qui pro nobis Deum cotidie exoret. Ut ergo per succedentia secula hoc donum invulsum maneat, manu propria firmavi ac uxori meæ ac filio supranominato coram infrascriptis testibus firmandum tradidi. Si quis vero ex successoribus meis aut aliquis, quod absit, infringere vel injuste auferre æcclesiæ sancti Petri Gemmeticensis, quod non fore credo, temptaverit, inprimis iram Dei omnipotentis incurrat et sequestratus a consortio sanctorum sit anathema maranatha cum Dathan et Abiron, necnon etiam cum diabolo et angelis ejus deputatus æterni ignis incendio. Actum anno dominicæ incarnationis .MLXVIII., regnante Phylippo rege anno .XI.

S[ignum] Petri †. S[ignum] Gausfridi filii ejus†. S[ignum] Drogonis †. S[ignum] Odardi. S[ignum] Burdini. S[ignum] Rotberti. S[ignum] Fulconis. S[ignum] Durandi. S[ignum] Josceranni. S[ignum] Gisleberti. S[ignum] Guncelini. S[ignum] Ursonis. S[ignum] Rogerii. S[ignum] Teudoini.

Vualterius de Pisciaco †. Vuarinus de Marvilla †. Godefredus de Marvilla †. Ulricus de Senanto †. Goisbertus filius Achardi †. Stephanus presbiter †. Osbernus Hotot † Hubertus de Ansgervuilla † Rogerius filius ejus †.